

salva navi vehi, quam diffractæ adhærere ? Hæc pœnitentia, illa baptismus est.

CONCIO VII.

PARTES PŒNITENTIAE COMPENDIO EXPOUNTUR.

I. Contritio qualis et contritionis motiva. — II. Propositorum emendationis. — III. Confessio et conditio confessionis. — IV. Satisfactio et satisfactoris conditions.

THEMA.

Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.
Luc. III.

Quæ sit via Domino præparanda, ipsemet S. Joannes exposuit Matth. III. cum dixit : *Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum.* Via igitur illa est pœnitentia : quæ quomodo instituenda, adeoque via Domino quomodo præparanda sit, symbolice indicat in hodierno Evangelio. Tres enim partes habet pœnitentia, quarum prima contritio complectitur duo capita, dolorem scilicet de peccatis, et propositum emendationis : secunda est confessio : tertia est satisfactio. Omnia hæc tetigit Joannes in hodierno Evangelio. Dolorem de peccatis, cum dixit : *Erant aspera in vias planas.* Propositorum emendationis, cum dixit : *Erant prava in directa.* Confessionem, cum dixit : *Omnis mons et collis humiliabitur.* Satisfactionem cum ait : *Omnis vallis implebitur.* Contritio enim est, quæ conterit aspera corda et complanat : propositum emendationis curva animi desideria ad terram inclinata dirigit ad Deum. Confessio montes et colles humiliat ; id est, superbos hominum animos, ut coram sacerdote incurvati se ipsos accusent, deprimit. Satisfactio denique est, quæ implet valles reatum contractorum, fructibus pœnitentia seu operibus satisfactoriis. Hæc vero singula quomodo sint peragenda, videbimus.

I. Contritio includit primo dolorem de peccatis, per quem debent aspera redigi in vias planas, id est, saxosa et dura corda conteri et levigari ; (unde vocatur contritio : et cor contritum, Psal. L.) ob quam causam in confessione percumimus pectus tamquam induratum et saxeum, dicendo : *Mea culpa, etc.* Quia enim per rebellem voluntatem et obstinationem cordis nostri Deo restitimus et viam cordis nostri interclusimus, idcirco vult Deus, ut per dolorem annihilemus peccata et quodammodo contemnamus. Cum vero duo sint in peccato quolibet : Dei scilicet offensa, et malum hominis, qui per peccatum amisit gratiam, fecit se reum gehennæ, injuriam fecit proximo, etc. hinc duplex etiam excitari potest dolor de peccato. Attritio, quæ dolet tantum propter malum hominis : atque hæc, accidente Sacramento con-

fectionis, sufficit et informatur charitate : extra id non sufficit, quia ex se includit magis amorem proprium, quam amorem Dei. Contritio, quæ dolet propter offensam Dei : et hæc etiam extra Sacramenti susceptionem pellit peccata, et adducit gratiam, includit enim Dei amorem et voluntatem implendi omnia Dei præcepta, ac proinde etiam præceptum confitendi proxima data occasione. Ita David ait : *Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino ? Et tu remisisti iniquitatem peccati mei.* Ps. XXXI. Ubi videtur loqui de tempore illo, quando increpatus a Nathan, dixit : *Peccavi Domino ;* moxque audit : *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Idque indicatum est in decem leprosis, qui jussi ire ad sacerdotes a Christo, dum irent mundati sunt. Luc. XVII. Ita nimirum pronus est ad ignoscendum Deus, ut non expectet tempus confessionis ad infusionem gratiae, sed statim ac contritus fueris, eam tibi conferat. Tenetur tamen contritus nihilominus confiteri, ex vi impliciti voti in contritione contenti, de implantis videlicet omnibus Dei præceptis : alioquin rursum peccaret, si confiteri nollet.

Itaque dolor iste et detestatio peccati malleus est, quo saxa corda peccatis infecta conteri debent. Sed quanti ponderis malleus ille debet esse ? Num malleolus tantum, quali utuntur aurifabri ? An vero malleus ponderosus, quali utuntur ferrifabri ? Respondet Joel c. II. *Scindite corda vestra, etc.* Fortis igitur et gravis debet esse malleus, quia gravis est, et quidem gravissima res, omne mortiferum peccatum. Unde Scriptura sacra, cum de pœnitentia loquitur, cinerem et cilicum commemorat, et nunc planetum amarum, nunc luctum unigeniti requirit. Debet igitur dolor hic appetiatrice esse maximus, quia est de maximo malo commisso et summo bono perduto : non tamen requiritur ut sit maximus intensive seu quoad sensibilitatem, lacrymas, etc. prodest tamen et hic provocat internum, ut luctus in domo lacrymas. Deinde pro ratione delicti esse debet et malleus, siquidem magno saxo frangendo requiritur magnus malleus, et malo nodo malus cuneus. « Quam magna delinquimus, » inquit S. Cyprian. I. de lapsis, tam granditer defleamus. » Unde sicut ridiculus foret, qui ingens aliquod saxum exiguo malleolo vellet findere : sic ridebitur a dæmone, qui, cum grandia et obstinata gerat in pectore saxa peccatorum, levissime tundit pectus et frigidissime. Sed unde mihi, inquis, talis malleus ? Intra in solitudinem cordis tui et cogita, primo, quid feceris contra Deum et dico : Ipse me de nihilo creavit, et ego eum pro nihilo offendi. Ipse me ad imaginem suam fecit, et ego illam in me de-

levi dæmonisque similitudinem indui. Ipse mihi intellectum, voluntatem, potentias, et sensus largitus est, et ego eisdem abusus sum et his quasi armis contra ipsum pugnavi. Ipse mundum hunc visibilem pro me creavit, omniaque mihi subiecit, et ego contra Dominum meum rebellis factus sum, et totum mundum, quantum in me fuit contra eum converti. Ipse mihi sanitatem, vires, ingenium, victimum, vestitum, vitam præbet et tamdiu conservavit : pro his tamen ego ingratissimus nil nisi mala redidi. Ipse me patientissime et diutissime expectavit, cum perdere nullies posset, quam facile nos necamus muscas, et ego interim ludebam foris, ridebam, saltabam, potabam.

Deinde quid feci contra Redemptorem meum Christum ? Omnen ejus passionem et ipsam mortem in meipso destruxi : et omnia ejus vulnera renovavi, sicut carnifices, cum in monte Calvaria vestem illi abstraxerunt : dum de novo ab eo profugi, qui me tam caro emit ; quid mea intemperantia feci, nisi quod illi fel et acetum iterum propinavi ? Quid mea superbia, nisi ejusdem caput iterum spinis pupugi ? Quid mea blasphemæ lingua, nisi lancea latus rursum aperui ? Quid concupiscentia et avaritia mea, nisi dorsum ejus rursum flagellavi ? Quid mea iniquitia et injuria, nisi vestem ei rursum abstraxi ? Quid sensuum meorum levitate et petulantia, nisi clavis eum rursum confixi ?

Quid feci contra meipsum ? De cœli hærede, et filio Dei, feci me reum inferni et filium diaboli. Pignus gloriæ perdidii, gratiam : veste me splendidissima spoliavi ; omnia mea bona opera et merita uno ictu contrivi. Quis unquam tam crudeliter mihi nocuit atque ego ipse ? Et quam longe absum ab inferno ? Non longius quam aqua ab iis qui navigant mare. Una enim tabula hujus corporis si rumpatur, descendam quasi lapis in profundum inferni : et quid si hodie id fiat ? Quid si cras ?

Quid etiam feci contra proximos meos ? Aliis bona fortunæ emunxi, aliis famam arrosi, aliis in corpore novi, aliis alteri contristavi et ad lacrymas adegi, alios exemplo vel doctrina mea perdidii, et forte aliquibus auctor et suasor ac socius fui ut aeternum perirent et jam in inferno contra me clament ac vociferentur. Denique matrem meam Ecclesiam contristavi, justos fratres meos afflisi. Angelos pacis ad planetum provocavi, et quod in me fuit, creaturas feci proditrices, dum eis tyrannice usus sum contra communem creatorem. Quando igitur tantum est meum debitum, tanta miseria, quid faciam ? Scio quid faciam : surgam cum prodigo filio et ibo ad Patrem meum ac dicam : *Patrem peccavi in cœlum et coram te : ibo cum Magdalena ad pedes Domini Jesu et culpas*

meas deflebo, lavabo cum Davide lacrymis stratum meum. Dicam cum publicano : Deus propius esto mihi peccatori : exibo cum Petro et flebo amare : prosternam me cum imper. Theodosio in ecclesia ad pedes sacerdotis. Intraverunt isti omnes in cor suum, et reppererunt malleum, quo corda sua contererent.

II. Includit propositum emendationis : et per hoc fiunt prava directa, cum videlicet voluntatem et affectum ad peccata inclinatum corrigimus, a peccatis abstrahimus et ad præcepta Dei implenda dirigimus. Hinc manus in confessione complicatas erigimus quasi paratas in posterum ad Dei voluntatem faciendam ; quia enim voluntatem nostram a Deo defleximus ad creaturas, vult Deus ut eamdem inde abstractam ad ipsum convertamus et spondeamus ipsi in posterum semper adhærere. *Alioquin illusor et non pœnitens, ait Isidorus I. de summo bono, c. XVI. censendus est, qui id facit aut cogitat cuius dolorem præ se fert.* Debet vero directio esse universalis et tollere omnem pravitatem, non ad unum tantum, sed ad omnia peccata ; qui enim unum Dei hostem in domo cordis sui fovet, totus hostis est, et manifeste ostendit, se nec reliqua peccata proprie tera detestari, quod Deo adversentur, sed ob alios humanos respectus, adeoque illusor est, quemadmodum scelestus ille Antiochus, qui *Oravit in ægritudine Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus,* quia non habebat propositum vitam emendandi II. Mach. IX. Debet etiam esse firmum et perpetuum, cum Davide : *Juravi et statui custodire iudicia iustitiae tuæ.* Et : *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in aeternum.* Ps. CXVIII.

Porro tam firmum esse debet, ut in genere malis quamcumque poenam sustinere, quam peccatum perpetrare (licet tales comparationes vel obligations exprimere non teneantur). Sic enim S. August. I. XVIII. de civit. c. XVIII. ait debere esse tale, ut homo quidvis malit tolerare, quam peccato amplius consentire.

Cum enim Deus summum bonum sit, utique quidvis aliud perdere præstat, quam illud. Debet esse perfectum et efficax, vitandi scilicet etiam occasiones peccati proximas et quæ te solent irretire, adhibendi item media et antidota peccatorum tibi præscripta, etc.

Qui rectum propositum non habent, sed cum uxore Loth adduc retrospicunt ad prius habitas et amatas creaturas, ut illa ad habitationem pristinam, frustra confitentur : quia alibi est thesaurus et cor eorum, ac proinde Deum non amant. *Quomodo dicas, quod amas me,* dicebat Dalila Samsoni, *cum animus tuus non sit tecum.* Jud. XVI. Sic si tu affectum retineas erga crea-

turas, quomodo amas Deum? Et certe qui post confessionem statim, proxima data occasione, eadem repetunt vitia, quomodo non curvum gerebat animum etiam in confessione? Ut enim baculus cum violentia ad rectitudinem redactus, si cessante violentia mox iterum in pristinam curvitatem inflectatur, ostendit in natam sibi esse curvitatem et violentiam esse rectitudinem: sic qui post confessionem mox redeunt in pristinam conversationem, ostendunt se nunquam rectum habuisse animum erga Deum.

Hujus propositi figura habetur, IV. Reg. X. in Iehu rege, qui cum obviasset Jonadab, quæsivit ex eo: *Nunquid est cor tuum rectum cum corde meo, sicut cor meum cum corde tuo?* respondit Jonadab: *Est. Si est*, inquit Iehu, *da manum tuam*. Qui dedit ei manum suam. At ille levavit eum ad se in currum. Ad eundem modum vult Deus ut cor pœnitentis rectum sit cum corde ejus, ut scilicet in eum nihil hostile machinetur amplius. Et ut in hujus sit signum et confirmationem petit sibi dari manum, id est, promitti et firmiter proponi, quod rectum cor erga alios non habiturus sit, et tunc sublevat eum in currum gratia sue.

III. Montes et colles humiliandi sunt per confessionem; propterea confitens genuflectit ante confessarium, ac sereum mortis agnoscat, ut S. Dionysius ep. ad Denoph. ait, et consentit Tertul. I. de pœnitentia, c. IX. cum ait: « Exomologesis est prosterendi et humiliandi hominis disciplina. » Quia enim superbia est radix peccati (juxta id Eccli. X. *Initium omnis peccati superbia est*) dum scilicet superbis spernit Dei legem et elit sequi propriam voluntatem, idcirco vult Deus, ut humiliet se in confessione, et fiat vallis, qui se erexit in montem, et ut Job ait: *Cucurrit adversus Deum erecto collo*: hacque ratione morbum a radice curet, sicut peritus facit medicus; nullum autem convenientius remedium prescribi homini superbo potuit, quam ut cogeretur accedere ad pedes alterius hominis, scelera sua aperire et ostendere se vilissimum esse.

Cæterum sicut montem humiliare non est opus unius diei, sed ingentis laboris; sic etiam magnam peccatorum molem per confessionem deponere, non est opus unius horæ; præsertim si quis per annum integrum aut diutius non sit confessus. Quis enim dubitat multos homines intra unum annum tantum congerere delictorum cumulum, ut collem aut montem efficere possint? Nonne David vir aliqui secundum cor Dei confitetur de se Psal. XXXVII. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatae sunt super me?* Et sanctus Jacobus apostolus cap. III. *In multis offendimus omnes?* Et Sapiens Proverb. XXIV. *Sepies in die cadet justus?* Quoties ergo injustus? Nonne septuagies septies? Quod si ita est, præsumum igitur examen et quidem exactum ac diuturnum requiritur: quomodo enim in illo brevi spatio, quo confessio durat, revocare in memoria poteris acta totius aut mediæ anni? Quomodo simul tantam molem abicies? Et tamen currunt ad confessionem plurimi sine ulla prævia sui disquisitione, et recensent forte tria aut quatuor communissima peccata a toto anno. Itane vero ista totius anni peccata sunt? O te beatum et ipsis sanctis sanctiore! Sed nimirum mentitur iniquitas sibi; dicunt enim, ut propheta ait: *Pax, pax, et non est pax.* Atque non recordor plurium, inquis: dicerem si recordarer. Crediderim hoc? Sed culpa tua est, si plura non memineris, quia indagare nolueristi; et ita interpretative idem fecisti ac si sponte reticuisses. Qui enim jussus querere furtum in cista sua, nihil pene movet nec scrutatur omnes ciste angulos, censemur nolle invenire, quod jubetur querere.

Porro ipsa confessio debet esse clara, non generalis et confusa. Quomodo enim te absolvet judex, si non audiat causam tuam clare et distincte? Quomodo curat medicus, si non monstretur ei vulnus aut membrum affectum? Fraus haec diabolica est, ut de procul et confuse ostendatur morbus, non latens sub eo fœditas, periculum, species, etc. Sic enim se occultat dæmon.

Secundo sit integra et cum circumstantiis suis explicata numero, loco, specie, tempore, persona, etc. alias tibi ipsi in sinu tuo serpentem foves, qui te jugulet. Sufficit unum lethale vulnus abscondere a medico, ut pereas.

Tertio sit propria, tum ut ipsem recenseas acta tua, tum ut ne alium accuses. Canis ejulans undique palpari debet, donec inveniatur ejus vulnus latens: quod si ipse loqui posset, statim id ostenderet. Sic confessarius diutissime querere debet, donec vulnus tuum tangat: tu vero id statim ostendere potes, modo loqui velis.

Quarto sit fidelis: non enim mentitur homini, sed Deo, qui in confessione mentitur, quemadmodum Ananias et Sapphira, sed de his aliis.

IV. Denique valles implendæ sunt per satisfactionem; in cuius peragendæ arrham forte confessario nummum pendimus. Ejusmodi valles sunt reatus ad pœnam temporalem persolvendam, quæ proinde cito implendæ sunt per opus satisfactionis injunctum a confessario, de qua etiam re alibi diximus.

Ejusmodi vallis est injustitia, quæ implenda

restitutione bonorum alienorum, quia alioquin non fit æqualitas justitiae.

Ejusmodi vallis est odium in corde nostro factum, quæ implenda charitate et remissione injuriarum.

Ejusmodi vallis est purgatorium, quod si effugere velimus, implendum est pluribus aliis operibus satisfactoriis, oratione, jejunio, elemosyna, etc. Non omnino liberamur ab omni pœna per illam satisfactionem, quæ a confessario injungitur, saltem communiter. Deus solus novit, quantum cuique solvendum restet; et certe olim gravissimæ imponebantur pœnitentia, quo nimis graviores purgatoriis pœnas evaderent.

Ceterum satisfactione pœnitentialis debet primo impleri sedulo, quia pars est pœnitentia, ita ut sine novo peccato omitti non possit. Qui debitor pecuniarum est, si non solvit, manet, qualis erat, debito suo obnoxius: novum tamen insuper non contrahit. Non ita res se habet in debito prædicto; nam si pœna a confessario injunctæ sis obnoxius, et eam non exsolvas, incidis in novam culpam, pœna priori nihilominus obnoxius. Ratio est, quia in debito pecuniarum requiritur satisfactio solum, ut facias æqualitatem solutionis cum debito; in debito vero pœnitentia requiritur satisfactio, non tantum ut fiat æqualitas proportionalis inter culpam dimissam et pœnam exsolvendam, sed etiam ideo, ut Sacramentum integreretur. Jam si quis condonaret tibi ingens aliquid debitum, ita tamen, ut chirographum tuum repetas, alioqui novi debiti reus sis, nonne tu omnibus modis satageres, ut chirographum tuum omnesque litteras tuas, quibus te creditori obstrinxeras, reciperes, ut sic debitum illud exigi in posterum a te non possit? Cur non facis hoc in proposito? Per contritionem et confessionem dimissa sunt tibi peccata tua; sed chirographum tuum adhuc penes Deum est, usque dum conditionem onerosam peragas; quin igitur laboras ut chirographum quoque recipias, ne forte revocatus de novo postuleris debito? Secundo: quia cum sit pars Sacramenti, pluris valet, quam si voluntate assumpta esset, siquidem ex vi Sacramenti operatur. Si tu debebas mille aureos principi externo, in cuius ditione certa aliqua moneta decem libras valet, quæ domi tuæ unam tantum: nonne expeditior est solutio per certam illam monetam, quam per alias utrobique pares? Satisfactione in Sacramento habet valorem auri, extra tantum valorem argenti. Insanis igitur si in confessione exiguum tibi injungi pœnitentiam cupis, quia decem millium aureorum debitum solvere vis cum milles, quod cum centenis posses. Secundo facienda est cito, nec diu nimis differenda, pri-

mo ut fiat moralis quædam conjunctio illius cum aliis duabus partibus pœnitentia, et ita vere pars Sacramenti dici queat: secundo, quia si diu differatur, periculum est, ne quis in peccatum recidat, et tunc satisfactio extra gratiam peracta vim nullam habeat ad satisfaciendum seu pœnam remittendam: ut habetur in supplem. D. Thomæ q. XIV. a. II. Quamquam satisfaciet præcepto confessarii, ita ut novum peccatum non contrahat, nisi in quantum aliquam irreverentiam Sacramento infert, et se effectu ejus privat.

Certe olim satisfactionem a sacerdotibus injunctam, teste Doctore Olavio in M.S. quibusdam, prius pœnitentes implebant, quam absolutionis beneficium consequerentur, atque ita salubri satisfactione purgati, ut ait S. Leo, ad communionem sanctorum per janum reconciliationis admittebantur. Vide igitur, ut si non ante, saltem paulo post debita tua solvas. Tertio facienda est digne, juxta id Baptista Luc. III. *Facite fructus dignos pœnitentie.* Est autem triplex fructus dignus pœnitentie, inquit D. Thomas Matth. III. Primus est ut puniat in se, quod commisit; secundus est ut fugiat peccata et occasionses peccati; tertius est, ut tantum studeat ad bene agendum, quantum studuit ad peccandum. Audiamus S. Gregorium hom. XX. in Evang. « Per hoc, inquit, quod dicitur, facite fructus dignos pœnitentie, uniuscujusque conscientia convenitur, ut tanto majora acquirat honorum operum lucra, quanto graviora sibi intulit damna per culpam. » Ita S. Paulus ad Philip. III. dicebat: *Sequor si quomodo comprehendam, in quo et comprehensus sum*, quasi dicat, quia Christus fugientem me secutus est et comprehendit, idcirco ego quoque nunc tanto magis sequor Christum per bona opera, ut eum comprehendam. S. Arsenius rogatus, cur aquam rarius mutaret, cum foetore cellulam repleret, respondit: « Lubens foetorem hunc excipio, in locum odorantorum, quibus in palatiis regum fui olim oblectatus. » Clodoveo regi Francorum converso dicebat S. Remigius: « Adora quod incendiisti (tempa); incende quod adorasti (idola). » Trithem. de Orig. Franc. Apposite demum Joannes claudit concessionem suam verbis illis: *Et videbit omnis caro salutare Dei*: quia pœnitens videbit salutem sibi conferri, cum videbit a sacerdote manum sibi imponi in signum reconciliationis cum Deo, et manumissionis a peccato, descendens a manu Dei, qui ex hoc articulo temporis pœnitentem accipit in suam amicitiam, tutelam et defensionem. (Hoc enim designat manum impositio). Sic olim Romani prætores servorum, quos manumitterebant, capita virgula quadam, quæ vindicia vel vindicta dicebatur

tangebant, Cicerone in topicis testante; hodie que pénitentiarii Romæ ejusmodi virgas tenent, et pénitentium capitibus imponunt, ut significant se eos a servitute peccati in libertatem filiorum Dei asserere; quo obtento superest, ut exacto pénitentiæ labore, videamus salutare Dei in cœlo.

CONCIO VIII.

DOCUMENTA.

- I. Messiam venisse jam probatur. — II. Prædicatores mitti debent. — III. Vox sit unusquisque. — IV. Christianis austere vivendum. — V. Solitudo amanda. — VI. Parada via Domini.

THEMA.

Vox clamantis in deserto, parate viam Dvmini.
Luc. III.

Historia Tobiae cap. XI. describit filium Tobiae Rages Medorum in paternam domum magno desiderio a parentibus expectatum: reddit ergo tandem filius, sed antequam veniret in domum patris, præcurrit canis ipsius, *Quis simul fuerat in via*, inquit textus, *et quasi nuntius adveniens blandimento sue cauda gaudebat. Et consurgens cecus pater ejus, caput offendens pedibus currere et data manu pueri occurrit obviam filio suo.* Quid sibi vult haec historia, auditores? Et cur in primis canem Tobiae præcursorem tam affabre describit? Mihi certe videtur per allegoriam depingere adventum Christi. Quis enim junior Tobias in paternam domum rediens, nisi Dei Filius, qui in propria venit, cum in terram venit? Quis vero ejus canis, ipsum præcurrans et parentibus annuntians, nisi præcursor Christi, Joannes, qui semestri uno Christum præcedens, eum synagogæ velut paternæ Christi domui annuntiavit et prædicavit, (notum enim est in Scriptura per canes significari concionatores) adhibitis partim minis, partim blanditiis ultimæ retributionis, partim vocibus et latratibus severæ reprehensionis? Excitata igitur Joannis nuntio synagoga occurrit filio suo Christo, utpote e synagoga prognato. Verum cæci instar offendens, dum Joannem pro Christo amplecti vero videatur. Christum vero in medio sui constitutum ne que agnoscit, ut vidimus in Evangelio ante octiduum, quia puer ducebatur: Pharisæis scilicet, qui legationem non ad Christum, sed ad Joannem instituerunt, interrogantes: Num ipse esset Christus? Quoniam igitur in hodierno Evangelio, needum desinit latrare canis iste, sed eamdem vocem repetit: *Vox clamantis in desero*, audiamus quid nobis nuntiet.

I. Nuntiat venisse jam Messiam orbi protissum. Quod præterea ostendi potest; primo ex prædictione Jacob, Gen. XLIX. *Non aufer-*

tur sceptrum de Juda et dux de fæmore ejus, donec veniat qui mittendus est, etc. Atqui in hodierno Evangelio audimus tempore Joannis et Christi ablatum fuisse sceptrum a Juda; siquidem Judæa suberat imperatori Romano Tiberio, et procurabatur a Pontio Pilato præside gentili. Erat quidem adhuc eo tempore Judæorum rex Herodes, sub quo passus est Christus: verum is non regnabat in Judæa, sed in Galilæa tantum, ut in hodierno Evangelio habetur. Illius vero Herodis pater, sub quo natus Christus, alienigena erat ab Augusto imperatore elatus ad regnum, dejecto Aristobulo legitimo hærede. Atque ita, Christo nato, jam ademptum erat sceptrum Judæis, dum in alienigenam translatum. Christo paciente nullus omnino rex erat, præter imperatorem Romanum.

Secundo ex miraculis Christi, quæ facienda ab eo prædictit Isaías, cap. XXXV. dicens: *Tunc aperientur oculi cæcorum et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum: quæ facta se esse ostendit Christus cum dixit: Renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis: Cacci vident, claudi ambulant, leprosi mandantur, surdit audiunt, mortui resurgent,* etc. Matt. XI. His permoti crediderunt in eum, et dicebant: *Christus cñm veniret, numquid plura signa faciet, quam quæ hic facit?* Joan. VII.

Tertio ex secundi templi ruina et eversione; promisit enim Deus Malachiæ III. et Aggæi II. venturum Messiam ad templum secundum, seu secundo extuctum, idque sua presentia adeo cohonestaturum, ut ejus gloria major inde futura sit, quam prioris. Porro templum illud jam destructum est una cum urbe sub Tito i. mp. quomodo ergo Messias ingredi jamjam illud potest, cum non sit amplius in rerum natura? Atqui in id, cum adhuc exstaret, venit Christus, et a Simeone exceptus est.

Quarto ex ruina et oppressione idolatriæ, per adventum Messiaæ delendam prædixere prophetæ, Ezechiel c. XXX. Michæas c. I. Zacharias c. XIII. Constat autem per Evangelium Christi contrita esse idola, eaque passim muta reddita, tandemque a suis cultoribus undique abjecta, ut testantur ipsi gentiles, Putarchus in I. cur oracula desierint, Porphyrius, etc. Exterminata eadem idola sæculo præterito, et exterminantur hodieque in regionibus non ita pridem inventis. Quæ ipsa mutatio idolatriæ in sanctissimam religionem, et veri Dei cultum, ex ipsa ratione ostenditur esse mutatio dexteræ Excelsi, adeoque Messiaæ; sicut mutatio tenebrarum in lucem ostendit ortum esse solem.

Quinto ex Judæorum e patria exterminio et diutissimo exilio. Sæpius enim Judæi a Deo

propter peccata sua plexi sunt exilio et servitute, in Ægypto per annos 400. in Babylone per 70. annos, etc. nunc vero post excidium Jerosolymæ durat eorum exilium per 1700. annos. Quæ vero causa esse debet, cur Deus populum suum electum paterna hæreditate et solo, omnibusque sacris tamdiu spoliavi? Utique gravissimum illud peccatum quod in Messiam admiserunt.

Sexto ex regni Christi amplitudine et stabilitate. Predictum enim a prophetis passim regnum Messiaæ fore amplissimum a mari usque ad mare et ad terminos orbis protendendum, fore præterea perpetuum, etc. At nullum aliud tale monstrari potest, præter Ecclesiam Christi. Et quomodo regnum Christi tam amplum et stabile esse posset, super omnia alia, quæ unquam fuerunt regna, nisi ipse verus Messias esset? Accedit hujus regni sanctitas, miraque propagatio per duodecim apostolos rudes et inermes, per martyria, etc.

Septimo ex prophetarum oraculis aliis, veluti Danielis, qui post septuaginta hebdomadas (annorum intellige, non dierum, ut omnes sentiunt) prædictit ungendum esse Sanctum sacerdotum, Dan. IX, quæ faciunt annos 490. sine dubio jamdudum completos. Accedunt testimonia Sibyllarum et quorundam Judæorum; veluti imprimis Josephi celeberrimi scriptoris, in excidio urbis capti et Romam ducti, qui libro XVIII. antiq. cap. IV. sic de Christo scribit: « Eodem tempore fuit Jesus, vir sapiens, si tamen eum virum fas est dicere; erat enim mirabilium operum patrator et doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt; plurimosque tam ex Judæis, quam de gentibus sectatores habuit: Christus, id est, Messias hic erat, quem accusatum a nostræ gentis principibus Pilatus cum addixisset cruci, nihilominus non destiterunt eum diligere, qui ab initio cœperant: apparuit enim eis tertia die vivus, ita ut divinitus de eo vates hæc et alia multa miranda prædixerint. » Sic Josephus. Quibus omnibus miraculum adscribam, quod episcopus Burgensis in Hispania evenisse testatur, II. p. scrutinii, dist. VI. capite X. Duo ex Judæis prophetarum loco habitu, redemptionis signum, anno a Christo nato 1295. fore conspiciendum, cæteris prædixerunt, in spem conspiciendi signi adducti, jejunii, eleemosynis, atque orationibus ante parati, albis ex more vestibus e lino vel serico amicti, synagogas ingressi sunt. Misericors vero Deus, antiquæ erga hunc populum misericordia recordatus, quod sperabant, redemptionis verissimum signum ostendit. Albis omnium vestibus admirandum crucis signum impressit, ex quo verum Messiam jam venisse

crucique suffixum esse, facile si vellent, possent intelligere. Quam verum autem sit miraculum his verbis Burgensis testatur: « Ego, inquit, testificor coram Deo, qui hoc signum contigisse sæpiissime audivi, ab antiquioribus Judæis nemine contradicente in ipso facto, nisi solum in causa facti, quia quidam eorum hoc attribuebant magicis artibus. » Hæc Paulus Burgensis episcopus, qui ut ex Judaismo Christo nomen dedit, ita Judæorum res egregie perspectas habuit.

II. Nuntiat nullum prophetam, aut religionis reformatorem recipiendum, nisi suæ missionis sufficientia edat testimonia. Etenim Joannes noster, præterquam quod a S. Luca ostenditur hic non usurpasse sibi prædicandi officium, sed a Deo accepisse, exhibet etiam hujus rei testimonium partim ex Isaïæ vaticinio, qui de ipso prophetavit, cap. XL. *Vox clamantis in deserto*, etc. (qui autem alius prædicare in deserto visus est?) partim ex vitæ austeritate et sanctitate ab ipsomet Christo commendata. Dum ergo ex Isaïa probat Joannes suam missionem Pharisæis ad se missis, indicat non audiendos illos prædicatores, qui suæ missionis rationem legitimam edere nequeunt, quales sunt omnes hæresum præco[n]nes: qui proinde ne mirentur, si eorum ministeria et commenta ab Ecclesia reprobentur et damnentur. Quod enim Pharisæi fecerunt, dum a Joanne rationem petierunt novæ suæ cæmoniaæ baptismatis, hoc etiam jure merito facit Ecclesia, cum in religionis novitates et novatores sedulo inquirat.

III. Nuntiat doctores et rectores imprimis, deinde Christianos omnes voces esse debere, ita ut quod docent, imperant, profitentur, factis et exemplo suo demonstrent. Hac enim de causa Joannes vocem se appellavit, quia non solum vocem docentis addidit, sed ipse totus vox fuit. Clamavit enim ore, clamavit victu, clamavit vestitu, clamavit domo et lecto degens in solitudine. Concionatores tubæ sunt, unde illis dicitur: *Quasi tuba exalta vocem tuam*, Isa. LVIII. Tuba autem dum ore inflatur, manu fortiter retinetur. Manus ergo ori, facta voci jungi debent, ne aliquin dicatur id Gen. XXVII. *Vox quidem, vox Jacob est, sed manus, manus sunt Esau.* Vox lenis, manus asperæ: vox agnina, manus hædinas et hirsuta. Quid hac de re S. Bernardus? « Monstruosa res est, inquit, l. II. de considerat. ad Eugenium papam, sedes prima et vita ima; lingua magniloqua et manus otiosa. » Quid S. Prosper? « Bene docere et male vivere, inquit, quid aliud est, quam se sua voce damnare. » Quid Nicolaus V. papa? « Doctrina sine bona vita est venenum, aiebat, cum bona vita autem est remedium ad omnia. » Quid abbas Pas-